



De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibus, Qvarvm permultæ antehac nunquam
in lucem prodire

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

Surius, Laurentius

Coloniae Agrippinae, 1576-

VD16 S 10261

De SS. Eartongota & Edilberga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

ca in primo sacerdotij sui anno, in quo cum reliquorum sanctorum pignoribus huius Antistitis reliquias collocavit. Post multos verò dedicationis dies admonitus est ab Abbate, ut reliquias, quas in altari ipso locaverat, visitaret, nè ab humore novi aedificij humectatis aliquid in his putredinis infideret. Quas cum requirens reperisset infectas, ablatas ex altari contra ignem siccare coepit. Verum ubi ligaturas illas singularem resoluisset, ventum est ad reliquias beati Illidij Episcopi. Quae cum contra ignem tenerentur, filum, quo ligatae erant, quia erat valde prolixum, super arduas decidit prunas, & tanquam aeneum aut ferreum, ab ardore ignis incanduit. Illo verò parumpendente, quid de filo fieret, dummodo sanctae reliquiae siccarentur, aestimans ipsum iam in fauillam fuisse resolutum, comperit adhuc integrum & incorruptum, quippe quod vinculum & ligamen pauloante fuisset huius gloriosi pontificis. Multa quidem & alia de hoc sancto miracula sunt relata, quae scribere longum putavi, haec aestimans fidei perfectae sufficere, quae dicta sunt: quia cui pauca non sufficiunt, plura quoque non proderunt. Nam ad hunc tumulum caeci illuminantur, daemones effugantur, Matth. 11. surdi auditum, & caecum recipiunt gressum, praestante Domino nostro Iesu Christo, qui credentibus repromisit se perita sine ambiguitate largiri.

Res sane
admiranda.

MARTYRIUM SS. Nicostrati & sociorum habetur in vita S. Sebastiani
martyris 20. Ianuarij.

VITA SANCTARVM EARTONGOTÆ ET
PROPINQVAE EIVS EDILBERGAE, SANCTIMONIALIVM
regionis Anglicanae, per venerabilem Bedam presbyterum scripta. Habetur
libro tertio historiae Ecclesiasticae gentis
Anglorum Cap. 8.



ANNO Dominicae incarnationis sexcentesimo quadra- Iulij 7.

gesimo, Eadbald Rex Cantuariorum transiens ab hac vita, Earcomberechto filio Regni gubernacula reliquit. Quae ille suscepta viginti quatuor annis & aliquot mensibus nobilissimè tenuit. Hic primus Regum Anglorum in toto Regno suo idola reliquit, ac destruxit: simul ac ieiunium

Eccè quomodo in principio acceptae fidei Quadragesimalae ieiunium precipitur.

quadragesima dierum observari principali autoritate praecipit. Quod nè facile à quopiam posset contemni, in transgressores dignas & competentes punitiones proposuit. Cuius filia Eartongota, ut condigni parenti soboles magnarum fuit virgo virtutum, serviens Deo in monasterio, quod in regione Francorum constructum est ab Abbatissa nobilissima vocabulo Fara, in loco qui dicitur Brige. Nam eo tempore, needum multis in regione Anglorum monasterijs constructis, multi de Britannia monachicae conversationis gratia Francorum vel Galliarum monasteria adire solebant, sed & filias suas eisdem erudiendas, ac sponso caelesti copulandas mittebant, maximè in Brige, & in Cale, & in Andilegum monasterio. Inter quos erat Sethrit filia uxoris Annae Regis Orientalium Anglorum, & filia naturalis eiusdem Regis, Edilberga. Quae utraq; cum esset peregrina, praemérito virtutum, eiusdem monasterij Brigenensis Abbatissa est constituta. Cuius Regis filia maior Sexburg, uxor Earcomberechti Regis Cantuariorum, habuit filiam Eartongotam, de qua sumus dicturi. Huius autem virginis Deo dicatae multa quidem ab incolis loci illius solent opera virtutum, & signa miraculorum usque hodie narrari. Verum nos de transitu tantum illius, quo caelestia regna petijt, aliquid breviter dicere sufficiat.

S. Edilberga Abbatissa.

Imminente ergo die suae vocationis, coepit circumire in monasterio casulas infirmarum Christi famularum, earumque, maximè, quae vel aetate prouecta, vel probitate erant morum insigniores, quarum se omnium precibus humiliter commedans, obitum proximè suum, quem revelatione didicerat, non celabat esse futurum. Quam videlicet revelationem huiusmodi esse perhibebat: vidisse sese albarum cateruam hominum idem monasterium intrare, hosque à se interrogatos quid quererent, aut quid ibi vellent, respondisse, quod ob hoc illò fuerint destinati, ut aureum illud numisma, quod eò de Cantua venerat, secum assumerent.

Dies resolutionis S. Eartongotae reuelatur.

Ipsa autem nocte, in cuius vltima parte, id est incipiente aurora, præsentis mundi tenebras illa transiens, supernam migravit ad lucem, multi de fratribus eiusdem monasterij, qui alij erant in ædibus, iam manifestè se concentus Angelorum psallentium audisse referebant, sed & sonitum quasi plurimæ multitudinis domum ingredientis.

Lux permaxima animã illã ad æternam patrie celestis gaudia ducebat

Vndè mox egressi dinoscere quid esset, viderunt lucem cælitus emissam fuisse permaximam, quæ sanctam illam animam carnis vinculis absolutam, ad æterna patriæ celestis gaudia ducebat. Addunt & alia, quæ in ipsa nocte in monasterio eodem diuinitus fuerint ostensa miracula. Sed hæc nos ad alia tendentes suis narrare permittimus. Sepultum est autem corpus venerabile virginis & sponse Christi in ecclesia beati protomartyris Stephani. Placuit quæ post diem tertium, vt lapis, quo monumentum tegebatur, amoueretur, & altiùs in ipso loco reponeretur. Quod dum fieret, tantæ fragrantie suauitas ab imis ebulliuit, vt cunctis qui adstantibus fratribus & sororibus, quasi opobalsami cellaria esse viderentur aperta.

Sed & matertera eius, de qua diximus, Edilberga, & ipsa Deo dilectam perpetuæ virginitatis gloriam in magna corporis continentia seruauit: quæ cuius esset virtutis, magis post mortem claruit. Cùm enim esset Abbatisa, cepit facere in monasterio suo ecclesiam in honorem omnium Apostolorum, in qua suum corpus sepeliri cupiebat. Sed cùm opus idem ad medium fermè esset perductum, illa nè hoc perficeret, morte prærepta est, & in ipso ecclesiæ loco, vbi desiderabat, condita. Post cuius mortem fratribus alia magis curatibus intermissum est hoc ædificium annis septem, quibus completis, statuerunt ob nimietatem laboris, huius structuram funditus relinquere, ossa verò Abbatisæ illo de loco eleuata in ecclesiam, quæ esset perfecta ac dedicata, transferri. Et aperientes sepulcrum eius, ita intemeratum corpus inuenere, vt à corruptione concupiscentiæ carnalis erat immune. Et ita denuò lotum, atque alijs vestibus indutum, transfulerunt illud in ecclesiã beati Stephani martyris. Cuius videlicet natalis ibi solet in magna gloria celebrari die Nonarum Iuliarum.

Corpus S. Edilbergæ post septennium eleuatũ apparuit incorruptũ.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET PRÆCLARI MARTYRIS PROCOPII, EX SIMEONE Metaphraste.

Iulij 8.
Cap. 1.



Edictũ Diocletiani.

Minz.

Promissa.

Cap. 2.

DIOCLETIANO & Maximiano Romanorum Imperium administrantibus, vehemētissimum bellum erupit aduersus Christianos, eis sibi hūc vnum scopum proponentibus, vt vniuersam pietatem contererent, & Christianis omninò afferrent interitum: multum quidem studij adhibentibus ijs, qui impijs eorum iussis inferuiebant, & impijs edictis vniuersum orbem terræ peruadentibus, quæ iubebant eorum sceleratam obseruare religionem. Iniquorum autem horum edictorum, vnum quoquè erat emissum aduersus Aeliorum ciuitatem, quod hoc modo habebat: Magnus Imperator Diocletianus omnibus, qui beneuolo sunt animo in intuitos deos, salutem. Oportebat omnes omni vti studio ad cultum magnum deorum, eorumque templa & aras excitare, eisque dies festos celebrare, & sacrificia publicè peragere. Mihi autem significatum est de quibusdam insipientibus aliter docentibus, & novos mores in aures hominum inducentibus. Quocirca præsens quoquè decretum exponimus in omni loco nostræ dominationis, iubentes omnes & deos colere, & eos obseruare, certò scientes, quòd qui noluerint eadem sentire, eos iudicia & supplicia, & mortes violentæ excipient: eos autem, qui parebunt, innumerabilium bonorum remunerationes, multæque suppeditatæ opes & pecuniæ recreabunt, & maximis fruuntur honoribus, & totum vitæ tempus rectè degent.

Cùm ergò tale edictum edidissent, Diocletianus quidem proficiscebatur ab Italia in Aegyptum. Eum enim vocabat, quæ tunc Alexandriæ excitata erat, seditio à quodam, qui vocabatur Achilles, & eam inclinàrat ad defectionem, & breui totam Aegyptum occupauerat, & se purpureo amictu induerat. Maximianum autem ad gentes, quæ sunt vltra alpes, emittit, sedaturum eos, qui illic erant, tumultus. Opus autem esse

ratus,